Stani. Murzynowski Eq. Pol.
De justificatione et justitia
fidei
Regiomonte.
1552.


V
B
3
C

DE IVSTIFICA TIONE ET IVSTITIA FIDEI.

DOCTRINA EX SACRIS literis, ea breuitate explicata. ut a candidis et pie uiuere uolentibus, facile intelligi et probari poßit. per STANISLAVM Murzynouſki a Suſchiec. Eq: Pol:

REGIOMONTE APVD
Ioannem VVeinreich
M. D. LII.
5. Septemb.

Sokerowi wiernemu

REVERENDIS
IN CHRISTO IESV
Patribus et Dominis, in Regno Poloniæ et Ducatu Lituaniæ Episcopis, et cæteris Religionis Antistibus Stanislaus Murzynouski a Suschice Eq: Pol:

Gratiam et pacem a Deo patre nostro et Domino IESV CHRISTO.

SAEPE mecum cogitaui, nec dum cogitare desij Antistites. Vnde nam, in populo Dei, tantũ mali oriatur, ut eorũ qui uerbũ Dei, serio: ut uidetur: amplectũtur, et se uiros uere Euãgelicos Deoq; acceptos nõ dubie credũt, nõ pauci sint, qui cũ summo probro sanæ doctrinæ et plurimorum scandalo, uitam agunt improbam et contaminatissimam, nihiloq; meliores nũc sunt, cũ uerbũ Dei quotidie et legunt et audiunt, quã antea fuerunt, quando de uerbo Dei quasi per somniũ audiebant. Quinetiam nonnulli maiore audacia, sequuntur mundũ et eius cupiditates, omnia sibi permittunt, huic seculo neqnã: se conformare et accõmodare: pulcherrimũ uel sane leue iudicant, sectanturq; ebrietates, cõmessationes, luxus, fastum, adulteria, scortationes, homicidia, rapinas, oppressiones, iniurias, auaritiam, superbiam, impiam securitatem, et alia his similia. Cum quibus hominibus si fratres seu Christiani nominẽtur, cibum quoq; capere Apostolus 1. Corinth. 5. uetat.

Alij uelut iam de uita æterna securi, uerbum Dei ne legunt quidem aut audiunt, sed nauseant et contemnunt, uel si legunt, certe exinde non gloriam Christi et aliorũ salutem, sed suam famam, aut diuitias, aut potentiam quærunt, et eos per fas et nefas deijcere conantur, quos suo nomini et cõmodis obstare censent. aut reuera se præstantiores esse indignantur. Et interim tamen omnes isti, pietatem et gloriæ Dei studium prætexunt, nec aliud in ore habent aut crepant libentius, quám se acceptos esse Deo, uere filios Dei et hæredes uitæ æternæ propter Christũ, idq; uel centies iurare ausint, cum potius fateri deberent, se Christum prorsus ignorare. Quid enim dicit scriptura 1. Ioã. 2. per hoc inquit: Scimus quod cognouimus eum, si iussa illius obseruamus. Qui dicit noui eum et iussa eius non seruat, mendax est, et ueritas in eo non est. Et iterũ Gala. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, Adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficiũ, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones

ditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, cōmessationes, et his similia, de quibus prædico uobis, quód qui talia agunt regni Dei hæredes non erunt. Quæ uerba et alia eiusmodi in Scripturis plurima, talia sunt. ut mirum sit, non dico tam multos, sed omnino aliquem reperiri, qui his uicijs uel alicui eorum obnoxius, se Christianum appellare audeat, nec esse dubitet.

Sed ego quo magis causam tanti mali inquiro, hoc minus aliam grauiorem et ueriorem uideo, quám stultam multorum de Iustitia et Iustificatione Fidei persuasionem, ex uerbo quidē Dei, sed male detorto conceptam. Nempe cum profana mens hominum, ex limpidissimo omnis bonitatis fonte, haurit fidem, nescio quam, non tam Christianæ quám Turcicæ, et ueterum Ethnicorum similem, qui et ipsi stulté persuasi, falso credebant se placere Deo, et certo post hanc uitam beatos fore.

In tanta autem impietate uitæ eorum qui de uerbo Dei gloriantur, nihil mirum est, multos mortales malle ad ueteres errorū Scopulos immori, quā in ueritatem tot scandalis deformatam suspectamq; et inuisam redditam, concedere.

Vt igitur et ij qui offenduntur, et illi per quos eiusmodi offendicula ueniunt, cōmonefiant, uel potius ut saniorem

ut saniorem de Fide et Iustitia Fidei sententiā teneant, atq; inde uitam quoq; suam aliter instituere, et alijs ad ingrediendam salutis uiam. prælucere possint, post multorum piorum æditos super hoc Articulo libros, et ipse primo breuiter propter tædiosos et occupatos, deinde etiam Si res postulabit copiosius, et cum scripturæ sufficientibus testimonijs propter aliorum necessitatem, exponendum mihi iudicaui, quod sentirem, maxime propter Sarmatiam nostram et præsentes dissensiones, Si forte et gentilium meorum, palato facilius : et tamen non minus pie : quám cæteri satisfacere possim, et illorum uotis respondeam, qui meam quoq; de Iustificatione sententiam, requirunt. dum in tanta docentium uarietate, quid sequantur aut iudicent incerti sunt.

Hanc aūt meam sententiam ex uerbo Dei certe petitam: licet nude et locis scripturæ nō cuilibet satis allegatis proposita sit, ad uos Antistites potissimum perscripsi, ut si uobis: quod spero : probata fuerit, defendatis eam contra eorum insectationes, qui suis et aliorum peccatis blandiuntur. nec pati doctrinam possunt, quæ : illos omnes Christianos esse negat etiā si se propter Christum Deo placere confidenter opinentur, qui pie secundū præscriptum Domini nostri Iesu Christi nō uiuunt. Deinde ut cæteris quoq;

per uos cõmendetur, cõmendata uero aliquem fructũ in Ecclesia Dei afferat. Videtis enim Patres uenerandi, quàm non Christiane pasim uiuatur, et quantis sceleribus populus Dei cõtaminatus sit, a quibus purgari nõ potest, nisi uos et doctrinæ et uitæ sanctitate gregi Christi præluceatis et acerrimi uitiorum, primum in uobis, deinde in ouibus uestris hostes et censores sitis. Confido aũt de uobis quod et ipsi, quæ sunt ad ædificationẽ corporis Christi, quod est Ecclesia, fideliter curetis et inquiratis, atq; ab alijs subiecta cupidißime amplectamini. Dominus IESVS CHRISTVS det uobis Spiritum suum, ut in uocatione uestra digna fide ambuletis, ne cum uenerit, Sũmus ille princeps Pastorum, sanguis perditarum ouium, de manibus uestris requiratur. Amen.

Porro, priusquã propositam materiam aggrediar, oro et hortor, per dominũ Iesum Christum, omnes quicũq; ueram Iustificationis nostræ rationẽ, uel ex his nostris, uel ex aliorum scriptis cognoscere uolent, ut ad tantæ rei cogitationem, afferant animos non oscitantes nec securos, non contemptores, neq; de se magna præsumentes, aut malitiosos, sed timentes Deum et modestos ac humiles, sed synceros candidosq; et ab admiratione sui alienißimos. hæc enim si cui non adfuerint, quàm uereor ne paruo cũ fructu

et hæc

et hæc et omnium piorum scripta legat. Qui uero his instructi ac muniti ad lectionem accesserint, Confido in Domino Iesu Christo, pios quidem et iam Iustificatos sanctificatosq;, magis etiam pios inde abituros esse, non iustificatos uero, ad ueram iusticiam et pietatem peruenturos.

Te Domine IESV Christe cũ Patre et Spiritu sancto tuo Deus in æternum benedicte, obsecro propter magnam misericordiam et nomen tuũ sanctũ, ut regas sensus et cogitationes nostras, uerbo et Spiritu tuo sacrosancto, aperiasq; os et aures creaturæ tuæ ad annunciandam et percipiendam laudem tuam, in salutem animarum nostrarum. Ego in nomine tuo sancto, quæ tu Domine infanti dederis, narrabo.

Quicunq; rectam Iustificationis nostræ rationem tenere aut etiam docere, imo uero ipse iustificari et ueram iusticiam consequi, nec unquam amittere cogitat, ei decem sequentia doctrinæ cœlestis capita probe nota et certa fide persuasa esse debent.

Primũ, Quod Deus sit qui iustitiã quidem He.11.
uere uult ac diligit, et præmijs afficit, Iniusticiã
aũt et peccata cuiuslibet pariter grauißime et Am.19.
iustißime odit, abominatur, et impunita non Mal.4.
finit. Hoc inquam, o homo: ante omnia te ex Rom.2.

* 4 animo

animo agnoscere et credere oportet, ut si peccati reus conuincaris, si tibi uires nullas esse ad bene agendũ perspicias: principio seriam pœnitentiam agere et uero corde dolere possis, quod conditori tuo displiceas, quod illi ægre facias, ac proinde pœnis et supplicijs dignus sis. Deinde quia potẽtia recta faciendi destitutus, eum placare, et placita illi agere nullo modo possis et tamen debeas, nisi damnari uelis, tum statim trepidus circumspicias cupidissime aliquod refugiũ, ubi ab ira Dei tutus esse, imo eam abolere et facultatẽ benefaciendi tibi cõparare possis. Alioqui si hoc fundamẽto totius
He. 6 Religionis careas. Quorsum attinebit te de Iustificatiõe docere? Cur mala nostra? cur bona amissa? aut misericordia Dei et beneficia Christi annunciabuntur? Scilicet ille iustificari desiderabit, misericordiæ cupidus erit, ullas pœnas peccati credet, pœnitentiã aget, a uoluptate peccati discedet, qui Deum peccato, ita ut dictũ est, irasci negabit. Huic uero quid quæso Christus prodesse poterit? Itaq; hoc primum, fundamenti uice, Iustificationi tuæ et aliorum ponito.

Secundũ erit, ut cum fide scias: quã iniusti et
Io. 14 peccatores nascamur et simus, quoue bono tali
15. natiuitate nostra priuemur. Nascimur enim ab-
Ps. 4 ominandis sordibus contaminatissimi, et prorsus
8. 50. peccato

peccato destructi. Priuamur aũt omni integritate, rectitudine et innocentia nostra, cum qua primus Gen. 6. 8.
parens noster creatus erat, et nos progenerare Hie. 17.
debebat: Præterea destituimur, uera Iustitia uera Dei gloria, et eo quod nos iustos, et ad bonum Ro. 3. 5. 7.
potentes faceret, atq; ad iusta et sancta opera excitaret, neq; amplius quicquã boni ex nobis facere Eph. 2.
possumus. In summa, priuamur omni uera uita, 2. Co. 3.
hæreditate regni cœlestis et filiorum Dei iure, et Ioan. 15.
alijs omnibus, quibus perfecta et uera fœlicitas Gen. 3.
ac beatitudo primorũ parentũ constabat, quæ nos certe uel eadem uel paria, aut etiam præstantiora recuperare necesse est, uel perire.

Tertium huic infœlicitati succedit, ne dubites aut ignores: quæ sint pœnæ istius ipsius infœlicitatis nostræ, seu sordium, peccati, et iniustitiæ, et eius cum qua nascimur, et eius quã nati per omnẽ uitam sceleribus nostris accumulamus. Sunt enim Gen. 2. 3.
horũ omniũ pœnæ, ira Dei immẽsa, mors et dam- Rom. 5. 6.
natio æterna, cruciatus inferni nunquã finiendi, et Ephe. 2.
omnes ærumnæ, tam præsentis quã futuræ uitæ, Non enim idem est, pœnas alias incurrere, et bona amittere. Quod ipsum, etsi est satis grauis pœna, tamen multi regnũ cœlorũ contemnũt, quum utiq; mori et inferni pœnas pati nolint, imo fœlices se putarent, si in hac uita quam nunc agunt, liceret
 illis per

illis perpetuo degere, aut si moriendum est, una sensum quoq; amittere, quod et Satan uelit, potius quam cruciatur.

Gal.2.3. Quartũ post hæc tria, Scies et credes, quod
Ro.2.4.8. nostris uiribus, pænis, satisfactiõibus et meritis,
Ioan.6. quæ quis cogitauerit, nõ tantũ nõ possumus bona
Psal.114. peccato amissa, recuperare, sed ne ab ipso quidem
129. peccato, et malis quæ illi debentur, liberari.

Quintum quoq; illud non ignorabis. Quod sit refugiũ nostrũ in tot ac tanta mala prolapsorum, et summis bonis merito spoliatorũ, ad quod confugientes, liberati a malis, iterum omnia bona amissa recuperemus, et potestatẽ benefaciendi ac-
Act.4. quiramus. Nullum enim aliud cogitari aut esse
Io.3.1.14. potest, nisi inenarrabilis misericordia æterni pa-
Ro.3.8.10 tris, et Dominus noster IESVS Christus ac
Gal.2.3.4 merita ipsius. In hoc enim sunt punita totius
Ephe.2. mundi peccata. Hic solus satisfecit iræ Dei, solus
Ioan.1. pænas peccatis nostris debitas exoluit, solus resti-
Isai.53. tutionem bonorũ amissorũ promeruit: factus pro nobis homo, et die octauo Circũcisus, factus sub lege et maledicto obnoxius, ærumnis item alijs innumeris oppressus, et præstita omnigena obedientia, ac legis perfecta impletione, etiam crudelissime laceratus, blasphematus nequiter, et morte ut fædissima ita amarissima condemnatus, cũ scele-

ratisq;

ratisq; crucifixus et mortuus, postremo ad inferos quoq; profectus, ne nos eo descendere opus
haberemus. Quare sanctissimo iure, iustissimus Io.5.5.17.
et misericordissimus pater propter filium et eius tot ac tanta merita eximit et absoluit suos ab omnibus pænis, quas peccato ipsorũ inflixerat, et restituit eis omnia, quibus Adam ante lapsum uere beatus erat, et nos futuri eramus, si ex pec-
catore peccatores non nasceremur. Inter cætera Ioan.15.
aũt bona, restituitur nobis, etiam facultas faciẽdi Rom.8.
Deo placentia et uere sancta opera, etiamsi in hac uita perfectã obedientiam præstare non possumus. Miserrimi enim essemus, si nobis a pæna liberatis, adhuc peccatũ dominaretur, etsi copiosum et sanctum fructum ferre non possemus. Qualis fructus sunt opera, sanctorũ patrum a seculo, Prophetarũ, Apostolorũ, et omnium piorũ facta pia. Multũ enim interest inter opera et animũ latronis illius cum Christo crucifixi, antequã iustificatus est, et hæc eadem postquã iustitiam est consecutus. Miramur enim ipsius ad Christum in Cruce conuersi, pia facinora.

Sextum. Deinde post quinq; priora necessarium scitu iudicato. Nimirũ. Quid nos ad misericordiam Dei et Dominũ nostrũ Iesum Christũ et eius merita afferre oporteat, ut a pænis peccati

*6 liberemur

liberemur, et bona per illud amissa nobis restituā-
Lu. 15. tur. Oportet enim nos afferre duo. Pænitentiam
Math. 3. 4 scilicet et fidem, Pænitentiā aūt nō illam hypocri-
Marc. 1. 2 ticam, qualē uulgus peccantiū ante Pascha simu-
lat, mox ad uolutabrū cæni sui rediturū. Sed ut
2. Reg. 12. breuiter omnia complectar, talem qualis fuit Da
P. 6. 34. 50 uidis adulteri et homicidæ, qualis Manasis Idolo
2. Par. 36. latræ impientissimi, qualis Petri domini Iesu abiu-
Math. 26. ratoris, qualis deniq; Mariæ magdalenæ et omniū
Luc. 7. qui unquā iram domini pro peccatis suis uere ex-
horruerūt, et se conditorē et patrem suū cœlestem
offendisse pie doluerunt. Fidem quoq; uoco, non
carnalem aliquā de misericordia Dei persuasionē
ex temerario, supino atq; oscitanti assensu ortā.
Heb. 11. Sed Fidem illam uiuam, a Spiritu sancto in uera
Marc. 9. pænitentia excitatā, qua: homo peccatis suis ex
Ephe. 2. lege Dei cognitis, et conspectu iræ Dei uere per-
terrefactus, ingemiscensq; ac dolens, et seriam
pænitentiā agens, imo uero prostratus, et damna-
tionem æternā uero pauore expauescens, et per-
fugiū aliquod cū summa trepidatione circūspectās,
Rom. 3. audita uoce Euangelij de domino Iesu Christo et
eius meritis, ac promissionibus a patre propter
ipsum factis, ad eundem dominū nostrum Iesum
Christū currat uelut ad unicum salutis portū, et
omniū quos infernus et ira Dei insequitur tutissi-
mum recepta-

mum receptaculum. Sicq; eadem illa Fide, Soli mise- Ro. 5.
ricordiæ Dei propter filium et eius merita innitente Io. 14. 15.
apprehendat et in cor suum admittat atq; accipiat, 6. 17.
ipsum filium Dei dominū nostrum Iesum Christum, Gal. 2.
et in eo Patrem et Spiritum eius sanctum, 1. 2. Co. 6.
Septimū caput porro noris, quid affert secum 2. Co. 15
Dominus noster Iesus Christus, uera fide ut dictū est Rom. 8.
apprehensus, et quid agit in nos, ut a malis liberari Eph. 3.
et fœlicitati pristinæ restitui possimus. Deinde quo
fine id affert et agit. Nam affert quidē secum nobis, Rom. 5.
reconciliationē cū æterno patre, remissionē peccato-
rum, et pænarū, liberationē a dominio peccati et legis
maledicto, acceptationē in filios Dei. Deniq; omnia
sua cū Patre et Spiritu suo sancto, et imputationem
omniū eorū quæcūq; aut ipse est natura sua, aut no-
stra causa incarnatus pro nobis suscepit, et ut ipse Ibidem.
totus cū suis omnibus nobis donaretur et imputare- Ro. 5. 6.
tur promeruit. Affert etiā Iustitiā, item sanctitatē, 2. Co. 5.
sapientiā, et uitam æternā, imo ipse est cum Patre et Phi. 2. 3.
Spiritu suo sancto, iustitia, sapiētia, sanctitas et omne Hie. 23. 33
bonū nostrū, quod compensat omnia illa quæcunq; 1. Co. 7.
tandem in primis parentibus nostris amisimus. Agit Io. 11. 14.
aūt in nos, quia nos iustificat, sanctificat, et uiuifi- 1. Io. 5.
cat, licet illi in hac uita nunquā perfecte obedimus
aut obedimus. Iustificat inquā, hoc est, uere iustos
reputat et facit, quēadmodū Abel, Enoch, Patriar-
chæ, Prophetæ, Apostoli, et omnes sancti pro uere
iustis

iustis sunt reputati,et uere iusti,id est,boni et pij facti,
Psa.71.4 iustitia seu bonitate uel si mauis probitate filij Dei,
qui ab initio Ecclesiæ,in pijs ad deũ fiducia meritorũ
Psal.50. eius sequẽtiũ accedẽtibꝰ cũ patre et spiritu suo sancto,
Isa.59. etiã ante assumptã carnẽ habitabat, et eos bonos et
1.Pet.1. iustos, bonitate seu iustitia sua faciebat, et ad bona
sanctaq; et iusta opera, excitabat, ducebat et moue-
bat, imo etiã aptos reddebat, et illi obediebãt ei: licet
nõ perfecte,quod nõ nisi in futura uita erit. Sãctificat
aũt et uiuificat nos, eadem prorsus sanctitate et uita
sua,qua Adamũ peccato polutũ ac mortuũ uere san-
ctum fecit et uiuum, qua item Paulus et cæteri sancti
uere uixerũt et sancti fuerũt. Nam quicũq; ullo tẽpo
re,fide meritorũ filij Dei, ipsũ filiũ dei apprehendũt,
Gal.6. illos ipse diuina sua uirtute seu spiritu sancto,nouũ ho
Ephe.4. minẽ,nouam creaturã, et saluos ex misericordia sua
Tit.3. facit,per lauacrũ regenerationis et renouatiõis spiri-
tussancti. Quotquot enim in eũ credimus datur no-
Ioan.1. bis potestas ut filij Dei simus. Nascimur quippe in
Christo, nõ ex sanguinibus, non ex uolũtate uiri aut
1.Pet.1. carnis, sed ex Deo, et semine incorruptibili ac ma-
1.Io.3. nente in æternũ,sumusq; nũc filij Dei, etiam si nondũ
apparuit quid futuri simus. Prorsus enim conditio
Rom.5. natiuitatis nos sequitur, siue cũ ex Adamo, siue cũ ex
2.Pet.1. Deo nascimur. Nam sicut nascẽdo ex Adamo,natura
eius nobis agnascitur, ita nascẽdo ex Deo naturæ
eius consortes simus. Sicut cohærentes Adamo malis
quoq; eius

quoq; eius obnoxij sumus. atq; tota damnatio eius in Rom.5.
nos deriuatur , ita cohærentes Christo, ab omnibus
his propter eũ liberamur. Quod si hoc iustum putas
et esse gaudes, et illud putes et patienter feras. Sicut
nascendo ex Adamo contrahimus, sordes, peccatũ,
et horribilem iniustitiam, insuper et mortẽ, sumusq;
iniusti et peccatores. Ita nascendo ex Deo participes Heb.12.
reddimur sanctitatis, iustitiæ et uitæ eius diuinæ san- 1.Ioa.5.
ctissimæ, ac iusti sumus. Sicut etiam cum ex Adamo 2.Co.15
nascimur hac ipsa natiuitate peccatũ non nostro uitio
contractũ, nec proprie nostrũ, nostrũ fit cũ omnibus
præmijs eius. Imputatur enim nobis: quia est in no- Rom.5.
bis et agnascitur nobis. Ita quãdo ex deo nascimur,
iustitiam et bonitatẽ suã, seipsum et spiritũ suũ, qui
uerus Deus est nobis dans, imputat nobis deus,quasi Gen.15.
nostra esset, nõ utiq; nostro, sed filij sui domini nostri
Iesu Christi merito, et omnigena obedientia partam.
Ad eundem modũ, sicut peccatũ Adami in nobis,est
peccatum et iniustitia nostra, quẽadmodũ innocentia
et iustitia eius erat futura innocentia et iustitia no-
stra,ita iustitia seu bonitas Dei, est bonitas et iustitia
nostra, et si illi perfecte obedire hic non possumus,
merita omnia Christi sunt merita nostra,deniq; totus
Deus in domino, et propter dominũ nostrum Iesum
Christum est noster. Postremo sicut nati ex Adamo Gen.15.
non habemus iustitiam seu bonitatem in nobis, quæ Leu.26.
nos ad iusta et sancta opera moueat, sed omnem recti-
tudinem

tudinem, integritatem innocentiãq; nostram et bonum in eo amisimus, ita contra nascendo ex Deo acquirimus id quod nos moueat et ducat in omnẽ pietatem, et recuperamus bona amissa, Christum scilicet ipsum cũ patre et spiritu eius sancto qui iam est nostra iustitia, nostra innocentia, nostra sanctitas in locũ amissæ succedẽs, cui donec in futura uita perfecte obediemus. Hic enim solus facit in nobis et uelle et perficere, sine
Phi. 2. hoc nihil facere possumus, hic nisi nos agat moueatq;
Io. 15. filij Dei nõ sumus. Soli enim sunt filij Dei, qui spi-
Rom. 8. ritu eius aguntur, et qui spiritũ Christi nõ habet, hic non est eius. Atq; hæc sunt quæ secũ affert Christus in corda nostra et agit in nos. Ac profecto hæc omnia ad rationẽ nostræ Iustificatiõis pertinent, nec ullo
Io. 1. 3. modo iustificatus est, in quem Christus nec attulit nec egit omnia, quæ diximus. Cæterum quo fine afferat sua et agat in nos, obscurum non est. Affert enim et agit, ut et nos sancte et pie uiuentes, illũ quidem operibus nostris bonis, coram mundo glorificemus, ipsi uero beati simus, et præmiũ hæreditatem regni cœlestis habeamus, et iam donatum non amittamus.

Octauum inde caput, ex superiore prorsus manifestũ est. Nimirũ, simus ne reuera liberati et in priorẽ locũ restituti, ipsaq; liberatio nostra, et bona nobis
Rom. 6. 5. restituta, sint ne aliquid in re, an tantũ sint imputatio. Profecto enim uere sumus a pænis et dominio peccati liberi,

liberi, uere nobis peccata sunt remissa, et maledictio legis condonata propter meritum domini nostri Iesu 1. Io. 2.
Christi: si illum legitima fide apprehendimus, et Gal. 3.
in cor nostrum admissum habemus. Veram item perfectamq; habemus iustitiam, sanctitatem et uitam, 1. Co. 1.
Quippe habemus filium Dei dominũ nostrum Iesum 1. Io. 5.
Christum, et patrem ac Spiritum eius sanctum, qui Col. 3.
tres in nobis habitantes, nos gubernant, ad sancta et iusta opera mouent, uiuificant et sanctificant, licet Phi. 2.
illis non omnes ex æquo obedimus, suntq; unica et perfectissima uita, iustitia et sanctitas nostra, in eodẽ et propter eundem dominũ nostrũ Iesum Christum, Rom. 3.
propter cuius meritum uult Deus esse iustitia et uita nostra, et imputat nobis suam bonitatem tanquam nostra et ex nobis esset, et quæcũq; illo mouente agimus, ea perinde accipit et præmijs afficit, tanquam nostra ipsorum natura et bonitate moti faceremus.

Nonum porro caput illud erit, ut scias et sis, qualis esse debes, sic per Christum liberatus et in eo recuperatis bonis omnibus quæ amiseras, quæ item perfectio tua esse potest quam diu hic uiuis. Nam si iustus et sanctus reputaris et factus es, sancte iusteq; Rom. 8.
uiuas oportet, non uiuas secundum carnem, aut certe iterum morieris, et uitam iustitiãq; dominũ amittes. Mortifica spiritu quo uiuis facta carnis Ebrietates, commessationes,

1.Cor.6. commessationes, libidines, odia, iniurias, cædes, igna-
Gal.5. uiam in Dei inuocatione, superbiam, luxum, auari-
tiã, dolum, et similia. Nam si hæc sectatus fueris
morte morieris, et quis scit, an iterũ reuicturus sis.
Tametsi enim in hac uita, quod ad obedientiã perti-
net perfectus esse nõ potes, hoc est, nunquã hic tantũ
obedies iustitiæ tuæ Christo, quantum debes. Adhuc
Rom.7. enim habitat in te peccatũ illud, cum ueteri homine
Adamo, nõ tantũ manet in te dominus Iesus Christus
Rom.6. uera iustitia, Adhuc peccator es nõ tantũ iustus, ta-
men nõ permittas per dominũ iustitiã tuã, ut peccatũ
in te dominetur, neq; exhibeas membra tua arma in-
iustitiæ peccato, sed arma iustitiæ Deo. Peccatũ enim
tibi nõ dominabitur, liberato a lege et tyrãnide ipsi-
us. Velis modo præbere te sequacem Christo iustitiæ
tuæ perfectissimæ, donec exuaris peccato per mortẽ
et mortificationẽ eius in Christo, ut cõpleatur rege-
neratio et iustificatio tua, ubi tu perfecte obedias
iustitiæ tuæ, Domino, perfecte Deum diligas, timeas,
et illi seruias, abolito et extirpato in uniuersum ex te
peccato. Interim tamen uiuas fide filij Dei, Christũ
nulla impietate a te expellas, sed ex eo copiosum fru-
Ioan.15. ctum feras, et te iustitiam ueram habere ostende, fa-
Gal.2. ciendo externam iustitiã operũ, quæ fructus est illius
Iac.2. ueræ quæ est intra te, Ipse dominus noster Iesus
Christus cum patre et Spiritu suo sancto. Caue aũt
imbecillitatem

imbecillitatem tuam peccato tuo prætexas: aut tibi
blandiaris uel in securitatẽ teipsum conijcias, tanquã
male agendo non sis iterum moriturus.

Decimnm postremo caput prædictis omnibus
adijcito. Consolationẽ scilicet piorũ adhuc peccatum
habentiũ, quod ipsos exercet atq; oppugnat, ut non
possint nõ peccare, et perfecte domino iustitiæ in ipsis
habitanti obedire. Nam contra has reliquias mali
eadem illa consolatio est, quæ fuit cõtra totũ corpus
peccati et mortis, refugiũ. Nimirũ sola misericordia
Dei, et dominus Iesus Christus cum meritis suis.
Nam pater clementissimus propter magnã bonitatem
et misericordiã suã, ac meritũ filij, nõ imputat nobis 1.Io.1.2.5
hanc infirmitatem nostrã eo quod filius ipsius nõ pro
se sed pro nobis perfectissime Legem impleuit, per-
fectissimus etiam in obedientia fuit, ac seipsum patri
nostra causa hostiam gratissimã obtulit. Proinde pa
ter aspiciens merita dilectissimi filij, et eius perfectã
pro nobis obedientiã ac legis impletionẽ, nostræ obe-
dientiæ imperfectionẽ nobis nõ imputat, sed perfectio
nem eius imputat, et nostræ carnis iniustitiam, sua et
filij sui tegit iustitia, ac secundũ illam, nõ secundũ im-
perfectionẽ obedientiæ seu operũ nostrorũ nos iustos
censet. Ita tamen ut nunquã seriam pœnitentiã agere
desinamus. Et sic remitte nobis debita nostra oremus.
Ut et ipsi debitoribus nostris errata illorrm ex cor-
dibus

Math.6. dibus nostris remittamus, neq; contra conscientiã ue-
1.Io.3. per impiam securitatem ea peccemus, quæ adiuuãte
1.Pe.3.4. Domino cauere possimus. Si tamen et in hoc ipsum quod absit inciderimus. Iustitiam quidem nostrã Dominũ amittimus continuo, sed habemus Aduocatũ eundem apud Deum, Christum Iesum, ut per eum uera pœnitentia et fide, misericordiam eandem, quã prius, cõsequamur, sicut Petrus, Dauid, Manasses, multiq; alij etiam in horrenda peccata prolapsi, uera pœnitentia ac fide sunt restituti. At caue pecces spe salutaris misericordiæ, aut pœnitentiæ et fidei. Nam ut maxime in hac uita cum Dauide et Manasse non puniaris pœnis grauissimis, tamen nescis, an collapsus pœnitentiam agere et fide consurgere possis. Itaq; certum nactus bonum, ne illud incertissimæ aleæ com-
1.Pet.1. miseris, sed per bona opera fac certam uocationem et electionem tuam.

Errata.

Fol. 4. pro Am 19. lege.5. 9.
Fol. 5. fac 2. pro Ro. 2. lege 3.